



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. XVI. Vtrùm Angeli uti poßint discursu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

Ad cognitionem lapidi non spectat, calidus sit an frigidus, albus an niger.

illi ab extrinseco inesse solent, utrum scilicet calida sit, an frigida, hoc vel illo loco sita &c. hæc enim accidentaria sunt, ergo accidentarium etiam est, utrum Angelus de facto eliciat actum liberum necne: & ut ait Hurtado citatus, num. 33. si antequam Angelus inferior eliceret actum liberum, superior eum comprehendebat, superveniens actus liber efficere non potest ut cognitio illa præcedens non sit comprehensio. Si verò quis cum Vasquez 1. p. disp. 205. cap. 3. cognitionem etiam actuum liberorum spectare velit ad comprehensionem, adhuc dicunt recentiores aliqui posse Angelum superiorem comprehendere inferiorem, defectus enim inquinat cognitionis actuum liberorum per aliam cognitionem suppleri poterit, per quam alia prædicata in Angelo inferiore conspiciunt: quod tamen mihi videtur difficile.

SECTIO DECIMA-SEXTA.

Utrum Angeli uti possint discursu.

I. Duplex est, de qua hic loquimur compositio.

Non quævis specierum circa res, etiam diversissimas, combinatio, est discursus.

II. Quis sit verus discursus, & arguat imperfectionem.

III. Discursus proprie dicitur plures actus requirit.

Magis in particulari declaratur natura discursus.

HOC est, utrum Angelus cognoscere possit componendo ac dividendo. Compositio, de qua hic loquimur, duplex esse potest: prima est compositio quædam, seu combinatio specierum, quando scilicet Angelus duabus vel pluribus speciebus diversarum rerum uti vult, easque ad cognitionem circa res illas eliciendam applicat: sic speciebus aeris, lucis, & unionis, etiam si ponantur distinctæ, sicut res ipsæ, quarum sunt species, unico simplici intuitu videt Angelus, & cognoscit inesse lucem aëri, Petrum esse similem vel dissimilem Paulo, leoni, equo &c. Item videt rem aliquam cum omnibus circumstantiis, ut hominem cum vestibus, sociis, loco in quo est &c. Ad hoc autem sufficit generalis quædam voluntas cognoscendi tale objectum cum omnibus circumstantiis: & in hoc nullus intervenit discursus, sed totum unico simplici intuitu perficitur. Eodem etiam modo procedere potest in propositionibus negativis & per species diversarum rerum unam de aliâ negare, ut aërem non esse lucidum, &c.

II. Alia compositio est, quæ reperitur in ipsis actibus, & involvere videtur imperfectionem, subjectum namque & prædicatum, quæ realiter semper sunt indistincta, concipit non ut in re sunt, sed instar plurium, deinde illa sic per apprehensionem simplicem, vel unam, vel plures concepta, per alium actum conjungit inter se, & prædicatum componit cum subjecto, ac si ab eo fuisset antea distinctum.

III. Discursus itaque est, quando unum infertur ex alio: ideo autem dicitur discursus, quod plures actus includat, sicut discursus corporeus includit plures gressus; nec enim nisi abusivè vocaret aliquis discursum, cum quis eodem actu unum in alio, ut effectum in causâ, cognoscit, alioqui & Deus discurreret, qui in suâ essentiâ, & per eam videt res omnes possibles. Non ergo sufficit ad discursum, quod ex parte objecti unum cognoscatur in alio, vel per aliud, sed esse debet quædam causalitas ex parte actuum, ita ut unus habeatur ex vi alterius, prius saltem naturâ habiti; si enim quis duos vel plures actus eliciat merè concomitanter, non dicitur discurrere, nec ab uno ad aliud, seu per aliud transire. Unde ab Aristotele, & Philosophis definitur discursus, *Cognitio*

unius veritatis per aliam, & post aliam. Hic ergo querimus, utrum Angelus discurrat, vel discurrere possit.

Tres hæc in re diversæ sunt sententiæ: prima IV. Scoti, quem sequitur Gregorius, Okam, Gabriel, & alii, qui licet ab aliquibus per se notis inchoare dicant cognitionem suam Angelos, sicut etiam faciunt homines, in quibus evidens est omnes actus non esse discursivos, cum ab aliquo actu immediato incipiant necesse sit: in omnibus tamen aliis aiunt Angelos discurrere, etiam in iis, quæ naturaliter clarè & intuitivè cognoscunt. Secunda opinio est Thomistarum Capreoli, Cajetani, Ferraræ, Banez, & aliorum, qui in nullo aiunt Angelum discurrere, imò cum alserunt omnino omnino discursus esse incapax.

Tertia, & probabilior sententia est Suarez hîc, lib. 2. cap. 33. num. 5. 9. & 18. Vasquez disp. 222. cap. 3. Hurtado disp. 12. Metaph. sect. 4. num. 24. & 28. Molina, & aliorum, qui etsi negent Angelum in iis rebus naturalibus discurrere, quas evidenter, clarè & intuitivè pro ut in se sunt videt; species siquidem, per quam hæc cognoscit, cum sit clara, repræsentat rem cum suis prædicatis essentialibus, proprietatibus, passionibus, &c. Unde unico actu simplicissimo hæc omnia intuetur, & sine ullo discursu, vel illatione unius ex alio. In aliis tamen rebus quas non videt intuitivè, sive ex supernaturalibus sunt, sive naturales, dicunt Angelum uti discursu, & per notiora devenire ad incognita.

In rebus itaque supernaturalibus discurrunt Angeli, & unum ex alio per diversos actus deducunt. Hæc videtur mens Divi Thomæ hîc, quæst. 60. art. 2. in fine corporis, ubi cum Angelo negasset discursum, subdit, *Hæc autem dicta sunt, prætermisissis his, quæ supra naturam sunt, horum enim non est natura principium sufficiens.* Unde quando Angelis negat S. Doctor discursum, de iis solum rebus intelligit, quas clarè, & intuitivè conspiciunt. Idem etiam dicendum de futuris contingentibus, & secretis cordium, hæc enim cum non videant Angeli intuitivè, possunt per conjecturas & discursum varia circa illa inferre, & unum ex alio deducere.

Imò in rebus naturalibus, ea quæ nequit Angelus immediatè per speciem claram & intuitivam cernere, potest per discursum inferre: sic dum Angelus cognoscendo suam substantiam, vel res alias, cognoscit Deum, solum secundum rationem primi principii, potest reliqua Dei attributa per discursum indagare. Thomista ergo aliqui, & in particulari Capreolus S. Thomam in iis locutionibus, in quibus, omnem universum negat Angelis discursum, intelligi debere aiunt de discursu qui fit cum successione temporis, seu cum quadam cunctatione, & mora, non de successione tantum causalitatis; quod exinde suadetur, aliquando enim, ut quæst. 8. de veritate art. 15. ad secundum, Angelum significat non discurrere, ne quidem in supernaturalibus; quod tamen alibi, ut vidimus, concedit: de priori ergo discursu intelligi debet.